



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

XVIII. Breve Beatificationis Rosæ de S. Maria Limanæ in Regno Peruano  
Indiarum Occidentalium, Tertii Ordinis S. Dominici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

1667-  
& 1668.

1668.

servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentibus, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Ut autem eadem præsentibus literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, Volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris publicari, ac illarum exemplis ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & ardeant, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent, utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Decemb. 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

*Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1667. Indictione sexta, die verò 30. mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ Noni, Anno ejus primo, præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joseph Guicciardum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem. Laurentius Barbigionus Mag. Curs.*

Publicari  
jubet.Rosam Be-  
tam nuncu-  
pari jubet.Dat. P. A. 1.  
die 20. Dec.

XVIII.

Breve Beatificationis Rosæ de S. Maria Limanæ in Regno Peruano, Indiarum Occidentalium, Tertii Ordinis S. Dominici.

C L E M E N S P A P A I X .

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**S**ANCTÆ MATRIS ECCLESIAE, quæ virgo casta uni viro desponsata est Christo, gloriosa fecunditas, in omni quidem prole, quam per Dei gratiam quotidie profert, multipliciter gaudet, in facris verò Virginibus, quæ studiosa charissimum meliorum æmulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornant, ineffabiliter exultat, atque floret, illarumque quæ accensis lampadibus exierunt obviam sponso, & intraverunt cum eo ad nuptias, sublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet: ut quæ sequuntur agnum quocumque ierit, lucant cum sæculi tentationibus infirmitati nostræ, adjutorii cælestis opem atque præsidium à sponso jugiter impetrare dignentur. In hanc curam Nos ex debito pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ adstringimur propensius incumbentes, piis Catholicorum Regum, aliorumque Christi fidelium votis, quibus Ancillarum Dei in cælis regnantium veneratio in terris promovetur libenter annuimus, sicut matura deliberatione adhibita, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, Christianæ Religionis robur, ac spirituales fidelium consolationem, atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Cum itaque diligentissimè discussis atque perpensis per Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum processibus, de Sedis Apostolicæ licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei

Rosa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem à Deo patrata fuisse asserbantur, Congregatio præfata coram nobis constituta unanimiter censuerit, quandomcumque Nobis videretur ad solemnem ejusdem Servæ Dei Rosæ Canonizationem, juxta Ritum ejusdem S. R. E. tutò posse deveniri, interim verò indulgeri, ut in toto Orbe terrarum Beata nuncupetur, hinc est, quòd Nos piis atque enixis Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac Charissimæ in Christo filiæ nostræ Marianæ Reginæ Viduæ ejus genitricis, & totius Ordinis S. Dominici supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati; De præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut memorata Dei Serva Rosa de S. Maria, in posterum Beata nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de ea sub duplici ritu recitetur Officium, & Missa celebretur de Virgine non Martyre singulis annis, juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani die vigesima sexta Augusti, quæ prima est non impedita post diem vigesimam quartam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit: hæc verò in locis dumtaxat infra scriptis nempe in Civitate, & Diocesi Limana, ac in Univerfo Ordine S. Dominici, tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Missas attinet etiam à Sacerdotibus confluentibus.

§. 2. Præterea primo dumtaxat anno à datis hæc literis, & quoad Indias à die quo eadem præsentibus literæ illuc pervenerint inchoando in Ecclesiis Civitatis, & Diocesis, ac Ordinis præfatorum, necnon in omnibus Cathedralibus, & Metropolitanis Hispaniarum, & Indiarum solemnibus Beatificationis ejusdem cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis constituta, & intra sex menses promulganda, celebrandi facimus facultatem. Romæ verò in Ecclesia S. Jacobi Nationis Hispanorum intra bimestre, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum celebrata fuerint eadem solemnibus, pariter celebrari permittimus.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac decretis super non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii præfate Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo præfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam sub annulo Piscatoris, die 12. Februarii 1668. Pontificatus Nostri Anno primo.

Decretum in quo Privilegia S. R. E. Cardinalium testandi de bonis, redditibus, & emolumentis Ecclesiasticis, etiam ad fructus inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos extenduntur.

C L E M E N S P A P A I X .

**M**OTU proprio &c. Cum à prima nostræ Divina favente Clementia Assumptionis ad Summi Pontificatus Apicem die impenso cogitaverimus Sacrum Cardinalium S. R. E. Collegium quod uti Senatus Universalis Ecclesiæ in excolenda vinea Domini nobiscum assiduo collaborat, & singulos Cardinales tanquam membra ejusdem corporis, quorum consilio, industria, ac opere

Contrariis  
derogat.Transumpto-  
rum fides.Dat. P. A. 1.  
die 12. Febr.

XIX.

Edita An. D.  
1668.  
Procemium.